



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Coppensteinii, Ordinis Prædicatorum
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ
Calvino-Catecheticæ**

Coppenstein, Johann Andreas

Moguntiaë, 1626

Respondeo Ad II. De Ecclesiæ Rom. Definitione, quod Perpetua Virginitas
S. Mariæ sit de Fide?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35247

IV. DISCE denique quæ ex Scriptura, & S. Patribus ad illas Heluidianas catiunculas respondeat solidè S. Thomas ibidem: Teque refutet negantem, quod Heluidij sententia sit Hæresis. Ita porro S. Thomas. *Absq; dubio detestandus est ERROR Heluidij; qui dicere præsumsit, Matrem Christi. POST partum à Ioseph esse carnaliter cognitam, & alios filios genuisse. &c. Quod 1. Derogat Christi perfectioni: 2. Iniuriam facit Spiritui Sancto. 3. Derogat dignitati Matrù. 4. Iosepho esset præsumtuosum. &c. Et ideo simpliciter est asserendum; Quod Mater Dei, sicut Virgo concepit, & Virgo peperit: ita etiam & Virgo Post partum IN SEMPTERNVM PERMANSIT.* Sic & OMNES Thomistæ, id est, securi Theologi Pontificij.

Deinde RESPONDET AD I. S. Thomas. Hieronymus dicit lib. contra Heluidium. Hæc præpositio ANTE, licet sæpè consequentiam indicet; tamen nonnunquam ea tantum, quæ prius cogitabantur, ostendit. Nec necesse est, ut cogitata fiant; cum ideò aliud interuenit, ne cogitata fierent. Sicut, si quis dicat, Ante, quam in portu pranderem, nauigauit; non intelligitur, quòd in portu prædeat postquam nauigauit; sed quia cogitabat in portu pranurus. Ita, ANTE, quæ conuenient, inuenta est in vtero habes de Sp. S. Non quod postea conuenierint; sed quia, dum viderentur conuenturi, præuenit conceptio: ex quo factum est, vt vterius non conuenirent.

AD II. Augustinus lib. de nupt. & concup. Coniux vocatur Mater Dei ex priore desponsationis fide; quam per concubitum nõ cognouerat, nec fuerat cogniturus. Vt enim dicit Ambrosius in Lucam: Non Virginitatis ereptio; sed coniugij testificatio, nuptiarum celebratio declaratur.

AD III. Chrysostomus ait, id intelligendũ de cognitione NOTITIÆ, non COITVS. &c. Hieronymus ait, de cognitione Coitus. Sed vsq; vel Donec aliquando significat definitum tempus, Gal. 3. aliquando Infinitum, Psal. 122. Et hoc modo significantur ea, de quibus posset dubitari, si scripta non fuissent: cætera verò nostræ intelligentiæ derelinquantur. Et sic dicitur Matrem Dei non esse cognitam à viro vsq; ad partum; vt

multò magis intelligamus, cognitam non fuisse post partum. &c.

AD IV. V. VI. Vide ipse D. Thomam: ac DISCE ex ipso, non ex me, tibi efflictim despecto: Quod spernere scio; tu fortè necis admirator tui, Magister? Ne sat Minister quidem, sed pseudopetrochus.

AD S. PATRES à te prote citatos (in quibus & Erasmus tibi numeratur: Nimirum, sicut *aroma cupit Muscerda videri*) iam ipse tibi respondisti ex B. Rhenano in Tertullianum dicente: *Sed HÆC sunt boni consulenda, presertim in tam vetusto autore.* 2 Respondit Toletus, Tertullianum in hoc grauitè & impie errasse. Nec Patrum sententia coniungenda est cum ERRORE Tertulliani.

3. Respondeo ego: Tertullianus, iam tum Marcionita hæreticus, amplexabatur Traditiones solas, in S. Patribus scriptas: at, nusquam scriptas ab vilo, rejiciebat, oppugnans Ecclesiam Romanam. Inter hæc autem non scriptas tum temporis erat hæc: *B. Virgo in partu, & post partum permansit Virgo.* Quocirca, damnatus eatenus in Heluidio ab Ecclesia, non est in testem hac in causa idoneus. Sed infra de Apertione vuluæ pluscula. Hæc breuiter de perpetuata Virginitate Mariana.

RESPONDEO AD II.

De Ecclesiæ Rom. Definitione, quod Perpetua Virginitas S. Mariæ sit de Fide?

MINISTER Heluidianizans, Iouinianizans, Antidicomarizans, pernegat. 1. Quia non continetur in Scriptura. 2. Quia non dicitur, *Non cognoscam; sed non cognosco. &c.*

RESPONDEO tuis verbis Tibi; Minister: *Quoniam tenes, in Patribus, neq; in Theologis multum Bene versatum animaduerto; docebo te breuiter, quid in hac re Patres, & Theologi sentiant.*

PERPETVAM Virginitatem Deiparæ Credo, Confiteor, & Confirmo etiam quod sit de fide: & cõtrarium sit hæresis. 1. Quia sic Traditio. 2. Sic apparentia ex Scriptura: 3. Sic S. Patres:

Patres: 4. Sic Theologi: 5. Sic Ecclesia Vniuersalis. Liquebunt hæc è subiectis.

Et vero sic est de fide, quod Alma Virgo eam VOUIT ante Conceptum Seruatorem, nouo exemplo; & Seruauit PERPETVO.

I. VOUIT; vt putatur, post desponsationem simul cum Iosepho; antè verò habuit eam in desiderio: Tamen hoc, de tempore, sit opinabile: de Re ipsa est indubitabile.

1. De tempore, quando vouerit, i. Greg. Nyss. orat. de Nat. Christi, & Nicephorus putant, à parentibus Mariam esse Deo consecratam; inque ea consecratione etiam Votum Virginitatis contineri. 2. Theologi recentiores putant post desponsationem vouisse Mariam. 3. Alij, ante desponsationem: quo inclino cum Maldonato.

Neque iccirco illicitè se desponsauit: Nam licet etiam impotenti ducere scientem impotentia: ergo & licuit habenti votum Virginitatis nubere scienti illud ex reuelante Deo; & consentienti. Licet item coniugatis post contractum matrimonium ex mutuo consensu, ab eius abstinere vsu; ergo licet & ante contractum eadem conditione? Vide D. Thomam 3. p. q. 29. a. 2.

2. De Re ipsa & Facto Voti ita docet S. Tho. 3. p. q. 28. a. 4. ex August. lib. de S. Virginit. cap. 4. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profecto non discret, nisi prius se Virginem DEO Vouisset.

1. Causa quæ sit erat; quod nondum intellexit Virgo, Modum concipiendi, se. se scilicet Virginitate concepturam; ideo causam subiecit: quoniam virum non cognosco: id est, nec cognoui, nec cognoscam; quia Voui. q. d. Non soleo, non debeo cognoscere. Sicut dicimus; non bibo vinum, i. non soleo bibere, aut non debeo, ob promissum. B. Maria autem non ex Impotentia naturali non cognoscebat: ergo ex morali, scil. Voro.

2. Ita S. Patres: Gregor. Nyssen. orat. de S. Nat. Christi: Augustinus lib. de S. Virginit. cap. 4. Ven. Beda in Luc. 1. & homil. super Missus est. Bernardus serm. super Signum magnum app. Anselmus lib. de excellentia B. Virg. cap. 4. Rupertus lib. 3. in Cantica.

3. Ratio fauet. Si Angelo, ait Toletus in Luc. 1. annotat. 111. reuelante Filii Dei Conceptionem, opposuit B. Virgo, se non cognoscere virum; quia ratione induci potuit postea virum cognoscere propria voluntate, Angelo non reuelante; idque ad concipiendum peccatorem? Profecto alienum ab omni intellectu est.

II. SERVAUIT quoque Virginitatem Virgo; Quia Vouit. Quia tamen non inuincibili euidencia ex litera Verbi scripti doceri, absque S. Patrum, Doctorumque Consensu, potest alterutrum, aut Vouisse, aut Seruasse Votum perpetuæ Virginitatis Mariam; idcirco S. Traditione standum est: præsertim ex quo sic definit, tenetque Ecclesia tota.

Definitionem ex Verbo Tradito, non Scripto causerunt hæresiarchæ: Heluidius; dum ab S. Hieronymo confutabatur Romæ; simul & condemnabatur anno 382. Iovinianus; dum ab S. Hieronymo confodiebatur stylo Romæ; & à Syricio Papa Romæ; itemque huius nomine ab S. Ambrosio Mediolani in Concilio anathematizabatur, anno 390. proscribiturque eum sequacibus à Theodosio: confutatur ab Augustino & Ambrosio. Antidicomarianita, perpetuam Deiparæ Virginitatem negantes, damnabantur anno 373, sub S. Damaso Papa. Ita Deus de hæresiarcharum tenebris fecit splendescere lumen Romanocatholicæ Veritatis, ex S. Traditione definitæ.

Et vero, mi Lector, hæc causa est interior, cur Minister cum Calvinisticis hodiernis damnat Heluidij sententiam; neget tamen esse de fide, vel hæresin: nimirum ne Traditionem admittere vllam cogantur, aut omittere suam Maximam hanc: Nil creditu ad salutem necessarium, quod non continetur in Sacra Scriptura.

AD SVASIONES Ministri. AD I. DICO. Caluinitus & Pet. Martyr allegati, non sunt Veritatis testes idonei, nisi hæresios, vt damnati hæretici. AD II. Non habetur in Scriptura; iam liquet. AD III. Item: non cognosco, id est, non cognoui; falsum est, ineptum, vanum.

AD tertij Confirmationem I. istam: Maria non nouit; quia nulla tunc monasteria erant.

Quis

Quis non subsiliat risu, pulsetque cachinno-
ilia? Tu es Magister in Hollandia, & ita argu-
mentaris?

Ad II. Confir. B. Mariam contraxisse matri-
monium sub voto abstinentiæ, non est tibi ve-
rissimile: at mihi & Orthodoxis est de fide; vti
supra te docui ex S. Thoma. &c.

III. De Apertione B. Vteri Mariani.

RESPONDEO Ministro, Ministri verbis
in Ministrum retortis, vt supra.

AD REM verò sic. Exiuit Dominus de vtero
Matris CLAVSO, inuiolata manente carnis inte-
gritate. Ita Bellar. lib. 3. de Euch. c. 6.

DOCEO. I. Ex Symbolo Apolt: *Natus ex Ma-
ria Virgine*: Illa nimirum, de qua Isa. 7. Ecce, Vir-
go 1. *Concipiet*: 2. & *pariet filium* Virgo perman-
ens, Vtpote quæ fuit, Ezech. 44. *porta CLAV-
SA*. &c. id est Ambrosio & Hieronymo, habuit
Vterum semper clausum.

II. RATIONE. I. Quia B. Virgo in partu
permanfit Virgo; vt docet S. Thomas 3. p. q. 28. a. 2
Et ibidem Theologi quod est Ministro, & verè,
articulus fidei fundamentalis: At Virginem esse in
partu nil aliud significare potest, quam in ipsa a-
ctione pariendi vterum illæsum permanere.
Quod negat minister: ergo sibi contradicit,
Virginem asserens, & apertionem simul. At
& Iouinianus hæresiarcha negabat vterum
clausum; dogmatizabat Apertum.

2. Item: B. Virgo peperit sine dolore: at ru-
ptura vteri fuisset dolorosissima; vt fuisset Beza
contra Smidlium diuulsiones exaggerat.

3. Item: B. Virgo mansit post partum Virgo:
quod credit Minister; & rectè: At Virginalis
Claustris ruptura est amissa carnis virginitas;
quæ reparari non potest, ait S. Hieron. *epist. ad Eu-
stoch.* Esse namque Virginem est nunquam fu-
isse ruptam, aut corruptam. Ergo Minister as-
serens Virginem Mariæ post partum; & si-
mul eiusdem diuulsionem seu apertionem; sibi
contradicit; cum hæc ista saluâ esse nequeat.

III. Ex S. PATRIBVS. Hos bipertitur Tole-
tus in Luca c. 2. annot. 36. super illud: *Omne mascu-
linum, aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.*

Quidam, ait, existimant Christum ea lege com-
prehensum fuisse; imo propter eum solum da-
tam. Quidam negant comprehensum; imo po-
tius exclusus.

Prioris sententiæ ratio est: quod omnes primo-
geniti inueniunt apertam vuluam ex commi-
ssione viri; solus Christus inuenit clausam, id-
eo solus aperuit. Ita Orig. *hom. 14. in Lucam*: Am-
brosius in *Luc. 2.* Hieronymus *lib. 2. contra Iouini-
anum*: Gregorius Nyss. *hom. de occurfu Christi*:
Amphilochius *hom. de Purificatione*. Qui docet,
Patres, apertionem loquentes, intelligi debere,
salua manente Virginitate: Isidorus Pelusiota,
lib. 1. epist. 13. Theophylactus, Euthymius. Quos
verbatim recitat Toletus.

Hi omnes apertum vterum intelligunt Perui-
um fuisse absque impedimento transeuntis Chri-
sti. Sic & Matth. 3. *Ecce, aperti sunt ei caeli.* Marc. 1.
Vidit caelos apertos. Act. 7. *Video caelos apertos.* Marc.
7. *aperta sunt aures eius.* Quæ non significant ru-
pturam, sed sine impedimento peruium, & pa-
tens. Atque ita Patres sensisse, nec licere sequi-
us interpretari, docet ex ipsis ibidem Toletus:
Tertullianumque iure merito redarguit falsi,
& impietatis.

Posterior sententiæ S. Patrum est: Prædicta lege
Christum exclusum; non comprehensum fuisse:
quia, *Omne masc. aperiens vuluam, sanctum Do-
mino vocabitur*: at Christus *Sanctus Sanctorum* vo-
catus est: Sicut Iohannes dictus est *Magnus co-
ram Domino*; vt seruus: at Christus simpliciter
Magnus, vt Dominus: Ergo non aperuit vul-
uam; vti ea lege exclusus: Sicut nulla humana
lege conceptus; ita & natus: vtrumque Clau-
stro pudoris saluo.

Ita S. Patres, Cyrillus Ierosol. *hom. de occurfu
Domini*: Ambrosius *serm. de Purificatione*: Hay-
mo: Augustinus *de fide ad Petrum cap. 2.* Grego-
rius *hom. 36. in Euang.* Hosce ad longum reddit
Toletus; ac sequitur. Hinclinet responsio ad
Ministromagistrales Conclusunculas quater-
nas.

D I C A D I. Ille Tertullianismus est impius;
à quo cateri Patres sententiæ etiam prioris
abhorraerunt, certe S. Hieronymus dicit, *Ter-
tullianum hominem Ecclesia non fuisse.* Atque in eo
sibi